



- 1 Baumgarten f. Sigm. Jac. f. meditatio-  
ner quardam de Genuina et Spuria  
edificatione spirituali Mediorum illius  
legitimis et illegitimis, Halle, 1747.
- 2 Brunings f. Christ. f. diff. de Christo  
triumphante, Heidelberg 1747.
- 3 Cloßen f. dieu. Sigm. f. diff. de Opere  
dei miraculoso, Gratioso et Glorioso  
in sanctis rediivivis demonstrato,  
Francof. 1726.
- 4 Clauswitz f. Bened. Gottl. f. diff. de  
Spiritu Sancto Annabone, Halle, 1747.

2. 2. 4

DISSERTATIO  
DE  
POENITENTIA DEO  
ADserta

AD GENES. VI. 6.

QVAM  
AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE  
CONSENTIENTE

PRÆSES  
HERMANNVS JACOBVS LASIVS

A. M.

ET SCHOLÆ SENAT. CONRECTOR

ET  
RESPONDENS  
JOACHIMVS FRIDERICVS HELM

POMERANVS

THEOL. ET PHILOS. CVLTOR

PVBLICE DEFENDENT

DIE III. FEBRVARII MDCCXLVII



---

GRYPHISWALDIÆ  
LITTERIS HIERONYMI JOHANNIS STRVCKIL  
REGIÆ ACAD. TYPOGR.

D I S S E R T A T I O  
D E  
P O E N I T E N T I A D E O  
A D S E R T A

A D G R A V E S N I. &  
O V A M  
A M P L I S S I M O P H I L O S O P H O R U M O R D I N E  
C O N S E N S I E N T E

P R A E S I S  
H E R M A N N U S J A C O B U S L A S S U S  
A. M.  
P R O F E S S O R P U B L I C U S C O N S E C R E T A R I U S

I N  
R E S P O N D E N S  
J O A C H I M U S F R I D E R I C U S H E I M  
P O E M A T I C U S  
T H E O L O G I C U S P R O F E S S O R  
P A B L I C U S D I R E C T O R  
D I E III. FEBRUARII MDCCCLVII



G R. P R I N T I N G O F F I C I N E  
L I T T E R I S H E R O N Y M I J O H A N N I S S T R A C K M A N N  
R I G I T E A C A D E M I A E



SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS  
VIRO MAGNÆ FIDEI  
VIRTVTIBVS ET MERITIS ILLVSTRI  
GENEROSISSIMO STRENOVQVE  
DOMINO  
DN. PHILIPPO ERNESTO  
AB HORN  
EQVITI POMERANO  
GENTIS VETVSTÆ  
IN ILLVSTRISSIMO POMERANIÆ SVETICÆ RVGLÆQVE  
REGIO REGIMINE  
A CONSILIIIS REIPVBLICÆ  
PATRONO  
ET STVDIORVM SVORVM  
FAVTORI EXIMIO  
PAGELLAS ISTAS RVDIMENTORVM QVALIVMCVNQVE  
D. D.  
SACRASQVE VOVET  
NOMINIS TANTI  
CLIENS SVBIECTISSIMVS  
J. F. HELM  
RESPONDENS.

SACRAE REGIAE MAJESTATIS  
VIRI MAGNE PABER  
VIRTVTIVS ET MERITIS ILLVSTRI  
GENEROSSIMO STRENGO  
TOMI 1.  
DR. PHILIPPO ERNESTO  
AB HORN  
EQUITI ROMANO  
CENTI SETVTE  
IN HELVETIIS TONRANL SWITZE RVOBON  
REGIO BELGICA  
A CONSISTIT BELGICA  
PATRONO  
ET SENIORUM SVORVM  
FAVORITIMO  
TABELLAS REAS RADMONTORVM QVILVMOVNOVS  
NOMINIS ANTI  
GLIENS QVILVMOVNOVS  
J. W. HORN  
RECTOR





CAPUT I.

PROPRIETATES QUÆDAM POENITENTIÆ  
PRÆSENTI DISQUISITIONI LUCEM  
ADFUNDENTES.



§. I.

*penitentia* est: Tædium ex facto proprio perceptum.

*Scholion.* Quilibet vel me tacente cognoscit, nos nomine penitentiae statum hominis non indigitare, quo ad meliorem redit mentem. Ne etiam Lectori vocabulum *factum* obscurum sit, monemus, nos isto non tam actum, quo rem effectam damus, quam potius ipsam rem a nobis productam, indicare.

§. II.

*Quicumque penitentia angitur, intuitu mala s. imperfectiones ad ipsum jure quodam pertinentes, & facto suo junctas cognoscatur necesse est.* Causa cujuscunque tædii est intuitus mali nostri, (p. L. Met.); ergo tædium ex facto proprio conceptum, i. e. penitentia originem suam trahit ex intuitu mali penitentem adicientis, & facto proprio juncti. (§. I.)

A 2

§. III.

§. III.

*Omnis imperfectiones ipsum attingentes & facto suo junctas intuen- do cognoscens poenitentiam sentit.* Nam iste tædium ex proprio facto percipit, (p. L. Met.), & inde poenitentiam non potest non sentire. (§. I.)

§. IV.

*Cujus rei nos poenitet, istam quoque averfamur:* Cujus rei enim tædium animum nostrum subit, illam quoque averfamur, (p. L. Met.); inde vero adlerti veritas patet, arcto nempe vinculo poenitentiam & averfationem junctas esse. (§. I.)

§. V.

*Tædium ex nevis factum quoddam contaminantibus ortum, quorum causa ipse facti auctor existit, est veri nominis poenitentia:* Est enim tædium ex facto proprio perceptum, ideoque poenitentia merito nominatur. (§. I.)

§. VI.

*Tædium concipere possumus ex mendis, invitis nobis, nostrum factum fedantibus, si istas intuemur.* Factum nostrum ad tædium nostrum merito refertur. Omnis vero mali intuitus tædium nostro juncti creat nobis tædium. (p. L. Met.) Non est itaque quod ambigas, nos tædium concipere posse ex mendis, invitis nobis, nostro facto inflictis, si istas intuemur.

§. VII.

*Tædium §. præced. descriptum poenitentia appellanda est.* Qui tædium hoc sentit, imperfectiones ipsum adficientes, & facto suo junctas intuetur. (§. 6.) Talem vero poenitentiam sentire, §. 3. evictum est.

*Scholion.* Poenitentia, de qua hac §. sermo est, in duas dividitur species. Nam 1.) potest auctorem facti cujusdam neavorum poenitere, quibus alius factum suum deterius reddidit. Quos nevos vero futuros



futuros esse auctor non prævidit, cum facto perficiendo se accingeret, & si futuri præsciis fuisset, certe factum suum non perfecisset.

2.) Auctorem facti cujusdam ab illo omnibus perfectionibus, quarum capax fuit, ornati poenitere potest mendorum, quibus istud a gradu pristino perfectionis per causam externam dejectum est, licet antequam facto suo existentiam largiretur, jam exploratum habuit, factum suum ab aliis deterius redditum iri. Sed hac futuri cognitione a proposito suo perficiendo se abduci non passus est, quia & ex existentia facti sui plus emolumenti quam damni in rerum naturam redundaturum prævidet, & illi constitutum deliberatumque est, factum suum abolere, si menda justo graviora evasura forent, ut utilitates ex facto provenientes quasi penitus absorbeant, & si navi a facto divelli nequeant. Horum priorem quemlibet in numerum poenitentium relaturum esse scio. Sed fortassis quidam lectorum putant, alterum immerito numero poenitentium adscribi, qui a culpa quam longissime abest, in illam tantum derivanda, quia factum nãvis oneravit, & facti sui eum non poenitet, quatenus a se ipso in lucem editum est, sed tantum imperfectiones ab aliis facto suo inflictas averfatur. Ab his, ut sequentia animo perpendant, peto. Definitio poenitentis isti, de quo jam disceptamus, accommodari potest. Nam poenitens tedium percipit ex imperfectionibus facto suo adherentibus. (§. 1. 2.) Istius vero animum tedium subit, quia imperfectiones facto suo præsentis intuenso contemplantur. Præterea adfectiones poenitentis isti, de quo jam nobis sermo est, quoque competunt. Comparemus istos, ut adserti veritas appareat. Illum imperfectionum facto suo adherentium poenitet. Hujus animum quoque ea ex causa poenitentia subit. Ille factum, quatenus nãvis detestabile redditum est, averfatur. Hic quoque a mendis facti sui abhorret. Denique ille factum suum infectum cupit. Hic etiam consilium inuit, facti sui delendi, si navi graviores fient, quam ut a sapiente permitti possint.

## §. VIII.

*Qui poenitentia §. 3. delineata angitur, de facto suo miratam jam sovet sententiam a judicio antea formato, quum factum parraret.* Nam ipse nãvis factum suum libero conatu

foedavit. (p. hypoth. & §. 3.) Nullam vero liberam actionem suscipere possumus, nisi bona nobis adpareat. (p. L. Metaph.) Imperfectiones itaque factum ejus contaminantes animo ipsius absentes fuisse, cum facto existentiam largiretur, facile intellectu est. Jam vero eum hujus facti poenitet. Ideo tardium ex isto sibi contrahat necesse est. Hoc vero probato, consequens est, eum imperfectiones suo facto praesentes intueri. (p. L. Met.). Nemo itaque non videt, poenitentem istum de sententia antea concepta jam discessisse.

## §. IX.

*Potest quoque evenire, ut poenitentiam §. 6. & 7. explicatam sentiens aliter ac antea de facto suo judicet.* Possibile enim est, hunc certissime factum suum omisurum fuisse, si praevideret, suum factum ab externa ab eoque diversa causa navis gravissimis conspurcatum iri. Quia vero de hoc infortunio ne per nebulam quidem quid praeviderit, rem multis perfectionibus ornata effectam dedit. Non itaque potuit, quin de facto recens suscepto bene judicaret. Accedentibus vero imperfectionibus ac mendis, poenitentiam & tardium sentit. Necesse ergo est, ut tunc sinistrum judicium de facto suo ferat, quatenus jam exiit, & ideo sententiam suam mutet.

## §. X.

*Sed non sine omni exceptione necesse est, ut poenitentia §. 6. & 7. descripta mutata sententiam de facto, cujus nos poenitet, secum trahat.* Non enim absolum dictu est, spiritum quendam simul ac cogitatio de facto ad actum deducendo animum suum subit, statim navos ab externa causa accessuros praevidere. Attamen rem effectam dat, quia I.) certo praevidet, tempore, quo factum suum ab imperfectionibus ab externa causa proficiscentibus liberum manebit, valde

valde egregium usum rerum universitati præstiturum fore, & 2.) quia firmum sibi præfixit propositum, factum suum delendi, si imperfectiones tantas nanciscantur vires, ut utilitates ex facto suo resultant superent, & si imperfectiones a facto divelli nequeant. Quis vero non videt, hoc casu poenitentis sententiam de facto suo statim ab initio conceptam nullam subiisse mutationem.

## §. XI.

*Quem facti sui poenitet, cujus nexorum autor ipse est, poenitentia angitur propter factum, quatenus ab eo profectum est, seu eum poenitet, hoc factum perpetrasse: Nam causa cur animus ejus in statum poenitentiae descendit, est intuitus mendorum, quibus ipse factum suum contaminavit, (p. hypoth.).*

## §. XII.

*Quem facti poenitet, quod quidem ab altero mendis oneratum est, quas vero iste non previdit, & si istas previdisset, factum nunquam suscepturus fuisset, poenitentiam sentit, tam quatenus factum suum ab altero mendis est pollutum, quam quatenus ipse hoc factum suscepit: I.) Illum poenitentiam sentire, quia factum ejus ab altero imperfectionibus oneratum est, §. 7. extra dubitationis aleam positum est. II.) Sed quia factum non suscepturus fuisset, si, alterum imperfectionibus factum suum adficiendum esse, previdisset, evidens est, quod jam in actu poenitentiae positus omissum factum majus bonum, susceptum vero factum minus bonum, & ideo jam perpetratum factum malum ducat, (p. L. Met.). Et quia poenitens factum suum intuitu contemplatur, (§. 1. & p. L. Met.), intuitus illum quoque docet, factum, quatenus ab eo profectum est, malum esse. Ergo tedium hujus facti animum ejus subit, (p. L. Met.), & ideo poenitentia agitatur, quatenus ipse auctor facti hujus est, (§. 1.)*

## §. XIII.

## §. XIII.

*Qui propter factum quoddam poenitentem gerit animum, quod ab altero depravatam est, & quod futurum esse iste quidem praevidit, sed nihilominus prudenti moris consilio, non solum facto existentiam largitus est, sed etiam imperfectiones factum deterius reddentes in tantum permisit, quantum usum ex facto hoc redundantem non superant, is poenitentiam tantum sentit propter imperfectiones ab altero profectas, factoque suo adjectas, nullo vero modo eum poenitet facti, quatenus ab eo originem traxit. I.) Illum poenitentia adfici, quia intuitu perspicit, factum suum ab altero naëvis conspurcatum esse, jam §. 4. & 7. demonstratum est. II.) Illum facti sui non poenitere, quatenus ab eo profectum est, inde liquet: Quum hoc factum effectum dedit, bonum judicavit, (p. L. Met.), sed peracto facto iudicium suum de isto non mutavit, (§. 10.), ideoque pravum istud ducere nequit. Itaque tedium ex isto percipere non valet, quatenus auctor eius est, (p. L. Met.); ergo eatenus factum hoc poenitentiae causa esse nequit.*

*Scholion.* De illo itaque, de quo §. praesenti sermo est, dici potest, illum naëvorum facto suo adhaerentium poenitere, quia ille auctor facti est.

## §. XIV.

*Tedium poenitentem premens est privatio perfectionis. Voluptas enim est perfectio, (p. L. Met.). Tedium vero est voluptati oppositum, (p. L. Met.); ergo istud est negatio perfectionis cuiusdam, ideoque privatio, (p. L. Met.). Inde vero cuique patet, tedium poenitentiae junctum esse privationem perfectionis.*

## §. XV.

*Quod poenitens veras imperfectiones facto suo praesentes intuenso cognoscens, istas aversetur, est perfectio. Perfectionibus*

nibus. in spiritu conspicuis merito & sequens annumeratur, quod intuitum certum ac verum imperfectionum spiritui cogitanti nexu quodam junctarum averlatio proportionem justam cum imperfectionibus istis servans excipiat, (p. L. Met.). Dubio ergo caret, averlationem poenitentis, veras imperfectiones facto suo praesentes intuitu cognoscentis, perfectionem esse.

## §. XVI.

*Distinctissima imperfectionum cognitio poenitentis est perfectio, e contrario omnis cognitio obscuritate vel confusione laborans est privatio perfectionis:* Nam nulli poenitentiae locus est, cui non cognitio reorum, quorum nos poenitet, praecederet, (§. I. & p. L. Met.). Distinctissima vero cognitio cujuscunque rei est perfectio spiritus, obscura vero & confusa cognitio eum imperfectum reddit, (p. L. Met.); ergo distinctissima imperfectionum cognitio, qua poenitens ornatus est, perfectio, obscura vero & confusa ejus cognitio imperfectio merito censetur.

## §. XVII.

*Quod averlatio poenitentis imperfectionibus, quarum illum poenitet, equalis sit, perfectio est:* Nam scientia animae nostrae nos docet, perfectionem animae egregiam esse, si averlatio momenta rerum averlandarum aequis passibus, si ita dicere fas est, sequitur.

## §. XVIII.

*Falsa poenitentia est imperfectio, vera vero perfectio:*  
I.) Quia poenitentia falsa radium spurium est ex facto proprio perceptum, (p. def.), in isto mentis statu ficti & errore concepti navi animo nostro obversantur. Omnis vero error est imperfectio animae, (p. L. Met.), & adeo impedit, quo minus falsa poenitentia sit mentis perfectio. II.) Vera autem poenitentia ex vero reorum intuitu originem suam ducit, (p. def.).

B

Verita-

Veritatum vero cognitio animam perfectam reddit, (p. L. Met.), & ideo isti vera poenitentia perfectionem largitur.

## §. XIX.

*Firmum propositum a poenitente conceptum, factum suum abolendi, si ab externa causa tantis nevis oneratum foret, ut istud rerum universitati plus damni quam emolumentum conciliaturum esset, & si nevi deleri non possent servato. facta, quatenus a poenitente profectum est, est perfectio in poenitente conspicua: Quodcumque propositum effectus sapientiae verae est, laude est dignum, (p. L. Met.). Amans vero sapientiae commodo rerum naturam universam inseruit, (p. L. Met.); ergo efficaci conatu fertur, facta optimo universi systemati nociva abolendi. Qvis itaque ambiget, propositum poenitentis in thesi hujus §. descriptum perfectionem ejusdem esse?*

## §. XX.

*Poenitens in proposito §. precedenti explicato permanens, si potentia proposito suo perficiendo sufficienti instructus est, adhuc majori gaudet perfectione: Nam qui principia Metaphysices tantum degustaverint, fatentur, potentiam laude dignis actionibus perficiendis sufficientem perfectionem esse. Sed potentia, qua factum plus damni quam emolumentum rerum universitati adferens destruitur, est species hujus potentiae, (§. 19.); ergo ista potentia poenitentem perfectum reddit.*

## §. XXI.

*Nullus hominum poenitentiam a radio vacuam sentire potest: Nam quicumque poenitentia agitatur, imperfectiones ad se attinentes intueatur necesse est, (§. 2.). Omnis vero intuitus imperfectionum ad nos respectum quendam habentium nobis radium parit, (p. L. Met.); ergo poenitentium hominum nemo a radio liber est.*

## §. XXII.

## §. XXII.

*Prima causa, cur homines poenitentiam omni perfectionis defectu vacuam sentire non possint, hæc est quod: Tedium a poenitentia, quæ homines adfcit, abesse nequeat, (§. 22.). Tedium vero est privatio perfectionis, (§. 14.); ergo tedium est causa impediens, quo minus homo poenitentiam sentire possit omni perfectionis defectu destitutam.*

## §. XXIII.

*Secunda causa, est quod: Vires hominum superet distinctissimam rerum cognitionem sibi acquirere, (p. L. Met.). Poenitentia vero distinctissimam imperfectionum, quarum nos poenitet, cognitionem causam non habens, imperfectione quadam laborat, (§. 16.); ergo hic defectus est causa, cur poenitentiam ab omni defectu liberam homines sibi vindicare nequeant.*

## §. XXIV.

*Tertia causa, est quod: Raro contingat, ut imperfectionum, facta, quorum nos poenitet, adfcientium auctores nullo modo dici queamus, (p. exper.). Dubio vero caret, poenitentiam, quæ ideo animum nostrum inquietum reddit, quia nos ipsi pravitatis facti nostri reos judicamus, defectibus non immunem esse. Ergo & hæc causa poenitentiam hominum sæpe defectibus onerat.*

## §. XXV.

*Quarta causa, est quod: Licet quoque nos nostri facti plane non poeniteat, quatenus a nobis profectum est, sed tantum quia, invidis nobis & omni culpa liberatis ab altero depravatum est, tamen non semper efficacem geramus voluntatem, factum hoc abolendi, si plus damni quam emolumenti inde provenit, & si segetem malorum non sine abolitione facti*

nostri impedire possumus; vel si quoque hoc animo fuerimus, tamen tanta non instructi sumus vi, ut istud factum abolere possumus, (p. exper.). Quia vero talis poenitentia omnium confessione imperfectionibus laborat, (conf. §. 19.), sequitur, ut hæc causa poenitentiae multorum hominum defectum conciliet.

*Scholion.* Non omnes sed tantum præcipuas causas poenitentes homines imperfectos reddentes nobis brevitati inservientibus explicare animus fuit. Alias causas aliis evolendas relinquimus.

---

CAPUT II.

DE POENITENTIA DEI.

§. XXVI.

**D**eus nullo tædio turbari potest: Deus summe felix est, (p. L. Theol. natur.). Tædium vero impedit progressum felicitatis, (p. L. Met.); ergo summum Numen nullo tædio obnoxium est.

§. XXVII.

**D**eus sensu proprio poenitentiam sentire nequit: Poenitentia est tædium ex facto proprio conceptum, (§. 1.). Deus vero ab omni tædio liber est, (§. 26.); itaque Deum sensu proprio nullius facti poenitere potest.

§. XXVIII.

**D**eus pravas hominum actiones averfatur: Deus sanctissima ornatus est voluntate, (p. L. Theol. natur.); ideoque omnes imperfectiones hominum morales averfatur.

§. XXIX.

**D**eus imperfectiones hominum morales non ideo averfatur, quia istarum auctor est: Deus nullo sensu auctor imperfectionum



num hominum moralium dici potest, (p. L. Theol. nat.). Sed tamen ab imperfectionibus moralibus, quibus homines se ipsos infelices reddunt, abhorret, (§. 28.); ergo istas non ideo averfari potest, quia earum auctor est.

## §. XXX.

*Deus nullam rem, quatenus illam effectam dedit averfari potest: Qui rem quendam averfatur, eam malam judicet necesse est, (p. L. Met.). Si ergo Deus a re quodam abhorreret, quatenus isti existentiam largitus est, eam quoque eatenus malam judicaret. Hoc vero factu impossibile est. Nam factum, quod Deus efficere decrevit, æterno immutabilique judicio bonum ducit, quatenus illius causa est, (p. L. Theol. natur.); ideo hoc iudicium mutationis omnis expers est.*

## §. XXXI.

*Deus pravas hominum actiones averfatur, quia illi, tanquam facta sua, per causas a se diversas nævis contaminati sunt: Deus averfatur morales imperfectiones, (§. 28.), sed non quia a se ipso originem ducunt, (§. 29.). Existentia vero hominum est factum divinum, (p. L. Theol. natur.), & hi sibi ipsi imperfectiones morales contraxerunt, (p. L. Met.), quod quoque Deum haud fugit, (p. L. Theol. nat.). Nulla ergo alia causa excogitari potest, ob quam Deus pravas hominum actiones averfatur, quam ista: Deus averfatur imperfectiones hominum morales, quia hi tanquam facta sua per se ipsos, & ideo per causas a Deo diversas deteriores sunt redditi.*

*Scholion.* Quilibet hinc facile intelliget, dici posse, Deum averfari pravas hominum actiones, quia hi opera sua sunt.

## §. XXXII.

*Deus actiones legibus moralibus contrarias non hoc modo averfatur, ut, cum hominibus existentiam largiretur, non præviderit,*

viderit, hos se ipsos imperfectionibus moralibus polluturos esse, & si hoc praevidisset, istos non creatus fuisset: Deus aeterna distinctissimaque omnium rerum cognitione gaudet, (p. L. Theol. natur.); ergo summum Numen ante creationem hujus universi jam perfectum exploratumque habuit, homines propriam perniciem actionibus suis sibi acceleraturos esse. Itaque ignorantia futurorum eventuum, in hoc mundo contingentium, Deum decipere non potuit, nec Deus sequenti experientia edoctus ad aversionem imperfectionum moralium in hominibus conspicuarum perductus est.

## §. XXXIII.

Deus imperfectiones morales, quibus homines se ipsi pollunt, averfatur, licet jam ab aeterno illi notum fuerit, homines pravis suis actionibus sibi ipsis pernicii futuros esse: Nam Deus actiones hominum a legibus recedentes averfatur, (§. 28.), & ejus cognitio tam est perfecta, ut incrementa capere nequeat ulla, (p. L. Theol. nat.). Evidens ergo est, Deum a pravis hominum actionibus abhorreere, licet jam ab aeterno praeviderit, illas, existentibus hominibus, futuras esse.

## §. XXXIV.

Deus pravas hominum actiones averfans firmum sibi praefixit propositum, istos perdendi, si pravae eorum actiones majores fierent utilitate, quam rerum universitati praestare possent, & si proventus istarum actionum non sine destructione hominum impediri posset: Omnis enim qui prudentia ductus a rebus quibusdam abhorret, efficacem gerit animum, istas res abolendi, si non solum plus damni quam emolumenti ex iis proventurum sit, sed etiam damnum non impediri poterit, nisi & ipsae res destruantur, (p. L. Met.). Deus vero tam imperfectiones morales averfatur, (§. 28.), quam etiam semper  
sapien-

sapientiam suam, ab omnibus limitibus liberam, ducem sequitur, (p. L. Met.); ergo constituit, homines, pravas committentes actiones, perdere, si eorum actiones optimo rerum systemati nocivæ erunt, & earum proventus impediri nequit, nisi & homines ipsi ex numero viventium exterminentur.

## §. XXXV.

*Aversatio Dei §. 33. & 34. explicata nullam secum ducit mutationem in Deo.* Causa cujuscunque aversationis est cognitio imperfectionum, (p. L. Met.). Deus vero jam ab æterno perfectum habuit, homines pravas edituros fore actiones, (§. 33.); ergo istas non tum demum aversatus est, cum jam existerent homines. Ideo aversatio ista nullius mutationis in Deo causa est. Similiter propositum Dei homines perdendi, si pravis suis actionibus mundo magis damno futuri sint quam emolumento, necessario nexu aversationi divinæ junctum est (§. 23.) ergo & hoc ab æterno est conceptum, nec inde mutata Dei voluntas colligi potest.

## §. XXXVI.

*Deus sufficientibus instructus est viribus propositum §. 34. explicatum exsequendi:* Deo potentia non limitata competit, (p. L. Theol. natur.); ideoque omnibus rebus, existentiam necessariam non habentibus, & hanc largiri, & illas hac exuere potest. Existentia vero nulli a Deo condita rei tam necessario vinculo juncta est, ut ab hac divelli non possit, (p. L. Met.); ergo Deus sufficientibus pollet viribus, homines, imperfectionibus moralibus se contaminantes, perdendi, si pravitas earum justo majora acceptura sit incrementa, & si ista impediri non poterit, nisi & homines illi ex numero viventium exterminentur.

## §. XXXVII.

## §. XXXVII.

*Aversatio Dei pravis hominum actionibus equalis est gradibus pravitatis:* Voluntas habetur perfectissima, si motiva a rebus averfandis petita fequitur. i. e. si inclinatio & averfatio ejus neque major neque minor est gradibus bonitatis & pravitatis, ad quam vel inclinatione fertur, vel a qua abhorret; (p. L. Met.) In Deo vero perfectiffimam veneramur voluntatem, (p. L. Theol. natur.); ergo averfatio Dei pravis hominum actionibus major vel minor est, prouti pravæ istæ actiones gradibus inter fe differunt.

## §. XXXVIII.

*Deus pravas hominum actiones, a quibus abhorret, distinctiffime cognoscit:* Deus averfatur pravas creaturarum actiones (§. 28.). Averfatio vero sine cognitione imperfectionum averfandarum esse nequit, (p. L. Met.); ergo Deum pravæ hominum actiones haud fugiunt. Cognitionis vero Dei nulla obscuritate & confusione laborat, (p. L. Theol. natur.); itaque Deus pravas hominum actiones, quas averfatur, clariffima luce intuetur.

## §. XXXIX.

*Deus tantum a vere impiis actionibus abhorret.* Averfatio, qua Deus adverfus facinora hominum fertur, notitiam Dei de istis actionibus causam habet. (§. 38.) Si itaque Deus ab actionibus hominum immerito pravitatis accusatis abhorreret, necesse quoque esset, ut errore deceptus illas pravas duceret. Sed Dei intellectus ab omni errore immunis est. (p. L. Theol. natur.) Nemini ergo obscurum esse potest, Deum tantum vere impias actiones averfari.

## §. XXXX.

*Inter averfationem divinam a pravis hominum actionibus & poenitentiam, qua homines agitantur, intercedit simili-*

*similitudo.* Pœnitens intuendo cognoscens factō suo imperfectiones adhærere, (§. 3.) has averſatur. (§. 4.) Interdum iſte pœnitentia ducitur, quia cognoscit, factum ſuum ab altero, ſe invito, imperfectionibus conſpurcatum eſſe, & ſi iſta pœnitentia bonæ eſt indolis, firmum ſibi præfixit propoſitum, factum ſuum cum imperfectionibus huic adhærentibus abolendi, ſi navi juſto majores futuri ſint. (§. 6. & 10.) Similiter Deus pravas hominum actiones non tantum cognoscit, (§. 38.) ſed etiam averſatur (§. 28.); ideo quoque has averſatur, quia homines, tanquam facta ejus ſe ipli infelices reddiderint. (§. 31.) Denique firmum propoſitum ab æterno formavit, homines perdendi, ſi damnum, ex actionibus eorum pravis proveniens, quam longiſſime ſuperaturum eſſet utilitatem, quam hi homines rerum univerſitati præſtare poſſent, & ſi iſti homines & pravæ actiones divelli non potuerint. (§. 34.) Hinc extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, averſationem Dei, qua adverſus pravas hominum actiones fertur, ſimilem eſſe pœnitentiæ, quæ hominum animos inquietos reddit.

## §. XXXXI.

*Averſatio divina a pravis hominum actionibus quam longiſſime antecedit præſtantia ſua pœnitentiam hominum.* I.) Tardium, defectus perfectionis (§. 14.) pœnitentiam hominum ſemper comitatur. (§. 1. & 23.) Deus vero, dum a pravis hominum actionibus abhorret, tardio liber eſt. (§. 26.) II.) Cognitio imperfectionum, hominem ad pœnitentiam agens, obſcuritate vel confuſione quadam laborat, & nunquam ſummum diſtinctionis gradum attingere poteſt. (§. 23.) Hic vero defectus diſtinctiſſimæ cognitionis eſt quoque defectus perfectionis cujuſdam. (§. 16.) Deus vero, dum a pravis hominum actionibus abhorret, has ſummo diſtinctionis gradu cognoscit. (§. 38.) III.) Homines culpa omni imperfectionum, quarum  
 C illos

illos pœnitet, raro absolvi possunt. (p. exper.) Hæc culpa vero defectum perfectionis esse, nemo negabit. (§. 23.) Deus e contrario auctor pravarum actionum, quas homines edunt, nullo sensu dici potest. (§. 29.) IV.) Si quoque homines a culpa imperfectionum, factis suis adhærentium, immunes essent, tamen non semper efficacem gerunt animum, facta sua abolendi, si imperfectiones justo majores evasuræ sint, & si proventus istarum non sine destructione priorum factorum impediri poterit, (p. exper.) Iste vero defectus bonæ voluntatis navos pœnitentiæ hominum adspersit, (§. 25.) In Deo autem hoc ante dictum propositum immotum stat, (§. 33.) Ergo & hoc in causâ est, cur averfatio in Deo pœnitentiæ multorum hominum præferenda sit. V.) Deus viribus ante dicto proposito exsequendo sufficientibus instructus est, (§. 35.) Hominibus vero non ita felicibus esse licet, (§. 25.) Et hoc propositionis demonstrandæ veritatem extra dubium ponit, (§. cit.) VI.) Deus inter averfationem, qua adversus facinora hominum fertur, & facinora ipsa justam servat æqualitatem, (§. 37.) Homines vero pœnitentes hanc proportionem non semper sequuntur duces, (p. exper.) Ista vero probe servata æqualitas averfationi Dei conciliat perfectionem non contemnendam, (§. 17.) VII.) Deus nunquam non a veris imperfectionibus abhorret, (§. 39.) Hoc vero de hominibus, teste experientia, dici nequit. Ista ergo præstantia divina est perfectio, Deo præ multis hominibus competens, (§. 19.)

## §. XXXXII.

*Deo adfectio competit, per eminentiam seu per analogiam: Si proprietas illi adscribenda est, similitudinem quandam habens cum adfectione operum a Deo conditorum, sed majoribus ornata perfectionibus.*

## §. XXXXIII.

## §. XXXXIII.

*Deo poenitentia adversus pravas hominum actiones eminentis vindicanda est.* Aversationi, quia Deus ab actionibus hominum legibus contrariis abhorret, cum poenitentia hominum intercedit quidem similitudo, (§. 40.), sed tamen ista huic multis ex causis praestat, (§. 41.); ergo Deum eminenti modo actionum hominum legibus contrariarum poenitet.

## §. XXXXIV.

*Deum eminenti modo facinorum ab hominibus commissorum poenitet, quia homines facta ejus sunt:* In Deo eminenti poenitentiae locus est, quia pravas hominum actiones averſatur, (§. 42.). Sed Deus averſatur ideo istas actiones, quia homines facta ejus sunt, (§. 31.). Evidens ergo est, Deum facinorum ab hominibus perpetratorum poenitere, quia ab illo creati sunt.

## §. XXXXV.

*Deum eminenti modo factorum suorum non poenitere potest, quatenus ab eo originem suam repetunt:* Deus nullam rem, quatenus illi existentiam largitus est, averſari potest, (§. 30.). Aversatio vero Dei poenitentia ejus eminentis vocatur, (§. 43.). ergo Deum facti sui, quatenus ejus auctor est, poenitere nequit.

## §. XXXXVI.

*De Deo, dici potest, eum hominum & praesertim eorum facinorum poenitere, si haec tantum pravitatis gradum attigerint, ut impii isti majus damnum quam utilitatem rerum naturae conciliaturi forent, si longius vitae spatium illis concederetur, & Deus ideo firmum formaverit propositum, eos terra extirpandi:* Cum Deus decrevit, homines ex numero viventium ejicere, quia futura eorum facinora justo graviora forent, adeo ut a Deo permitti non possent, homines & praesertim eorum

eorum facinora averfatur, (§. 28. & 34.). Averfatio vero Dei, qva adverfus pravos hominum actiones fertur, poenitentia eminens vocatur, (§. 43.). Nullus itaqve dubito, quin adferi poffit, Deum impiorum hominum poenitere, fi decrevit, eos delere, qvia facinora eorum iufto graviora forent, fi illis longiori vita frui concederetur.

## §. XXXXVII.

*Deus facinora hominum tempore diluvii viventium averfatus est:* Ifti homines ingentibus fe contaminarunt facinoribus, (p. L. Theol. revel.); ergo ab his fanctiffimum Numen abhorruit, (§. 28.)

## §. XXXXVIII.

*Deus primam hominum generationem ex numero viventium diluvio exterminavit, qvia prævídít, facinora eorum futura, fi longior illis concederetur vita, utilitatem ex eorum exiftentia in univerfum hoc redundantem quam longiffime fuperatura fore:* Deus iftos homines diluvio terra extirpavit, (p. L. Theol. revel.). Sapientia vero divina obftat, qvo minus Deus res a fe creatas aboleat, fi majori ufui quam damno rerum univerfitati futurae fint, (p. L. Theol. natur.). Patet ergo, caufam, cur Deus primam hominum ftirpem aqua perdidit, fuiffe, qvia prævídít, futura eorum facinora iufto graviora fore.

*Scholion.* Ifta futuri cognitio una caufarum fuit, Deum incitantium, primæ ftirpis hominibus per centum & viginti annos facultatem ad meliorem redeundi frugem præbere. Nam certo cognofcebat Deus, hoc temporis fpatio facinoræ eorum iufto graviora non futura, adeo ut utilitatem in rerum naturam ex exiftentia eorum redundantem fuperatura forent. Sed ne putes, me hanc foreve fententiam, qvòd hæc futuri cognitio unica fuerit caufa fpatii deliberandi hominibus primæ generationis a Deo dati. Nam Deus bonitate fua, felicitati hominum ferio confulente, & fortiffis adhuc aliis caufis



caulis a me jam non recensendis motus vim aquæ centum & viginti annos cohibuit, quo minus terram inundaret. Etiam notatu dignum est, me hac so non adserere, sapiens Numen homines terra non exterminare, si utilitas, quam terræ adferunt, major est damno in terram ex vita islorum redundante. Sed potius hanc defendo sententiam, sapientiam divinam non permittère, ut homo numero viventium ejiciatur, qui rerum universitati adhuc majori usui quam damno est. Hæc distinctior explicatio meæ sententiæ plures fortassis odcupabit scrupulos, qui animum lectoris male habere possent.

## §. XXXXIX.

*Deum eminenti modo hominum tempore diluvii viventium poenituit, quia gravissimis se contaminarunt peccatis:* Deus eminentem percipit poenitentiam ex pravis hominum actionibus, cum firmum sibi præfixit propositum istos perdendi, quia facinora eorum justo graviora forent, (§. 46.). Justissimum vero Numen hoc propositum formarat, cum primam hominum stirpem diluvio delere voluit, (§. 48.). Dubio ergo caret, Deum eminenti modo hominum, quos diluvio confortio viventium exstirpavit, poenituisse.

§. L. *Deum hominum, tempore diluvii viventium, non poenituit, quatenus ab illo creati sunt, seu Deum minime poenituit, illos homines creasse:* Nam Deum nullius poenitet rei, quatenus ab illo originem suam repetit, (§. 45.). Hinc Deum poenitere nequit, illum homines tempore diluvii viventes creasse.

*Poenitentia ista a perfectionibus divinis non aliena fuit:* Quod Deus facinora hominum aversetur, evidentissimum est documentum, Deum sanctissima ornatum esse voluntate, quæ voluntas vero cum cæteris perfectionibus divinis consentit, (p. L. Theol. natur.). *Ista vero averlatio poenitentia Dei*

eminens est, (§. 43.): ergo poenitentia ista & cætera perfectiones divinæ inter se conveniunt.

## §. LII.

*Ex poenitentia, qua Deus a facinoribus hominum tempore diluvii degentium abhorruit, nullo modo colligi potest Dei intellectum incrementa cepisse:* Deus pravas hominum actiones averfatur, licet ab æterno certissime præviderit, homines existentes actionibus suis leges morales violaturos esse, (§. 43.). Cuique ergo patet, averfationem istam nequaquam probare, intellectum divinum omnium limitum haud expertem esse. Averfatio vero ista nomine poenitentia eminentis venit, (§. 43.); ideo nec hæc nos docet intellectum Dei non infinitum esse.

## §. LIII.

*Poenitentia Dei mutata divine voluntatis signum non est:* Cum Deus hominum facinora averfans firmum formaret propositum, illos extirpandi, quia certissime perspiciebat longiorem eorum vitam rerum conditarum naturam gravissimo damno fore, minime a suo ab æterno concepto proposito discedens novum formavit, (§. 35.). Non est igitur, quod Deum variati arguas propositi, quia eum hominum tempore diluvii viventium poenituit, (§. 43.)

## CAPUT III.

## LEGITIMA INTERPRETATIO GEN. VI. 6.

## §. LIV.

**V**eritates a Deo in Sacra Scriptura nobis patefactæ rationi nostræ in pervestigandis proprietatibus divinis auxilio sunt, & hinc sacra scriptura Deo adfectiones, iis, quæ ope rationis certo cognitæ sunt, contrarias, attribuire nequit. Poenitentia

tentia ideo, quam & oracula divina & ratio nexum veritatum verum nobis patefaciens Deo attribuit, ejusdem sit naturæ necesse est. Hinc nemo inficias ibit, boni interpretis esse, ut convenientiam conceptuum poenitentia, quos nos & sacra scriptura & ratio docet, dilucide ostendat. Ideo officio boni interpretis satisfactorius dictum Genes. VI. 6. ita interpretabor, ut amica conspiratio & concordia oraculorum divinorum & rationis omnibus conspicienda præbeatur. Ut vero sensum hujus commatis rite determinare possimus, operæ pretium erit, & præcedentem versum latine vertere:

וַיִּרְא יְהוָה כִּן רַבָּה רַעַת הָאָדָם בְּאָרֶץ וְכָל-יֶצֶר  
מַחְשֵׁבֹת לִבּוֹ רָק רַע כָּל-הַיּוֹם

: וַיִּנְחֵם יְהוָה כִּי-עָשָׂה אֶת-הָאָרֶץ בְּאָרֶץ וַיִּתְעַצֵּב אֱלֹהֵי-לִבּוֹ: vl. 6  
Hos versus ex hebræo in latinum ita vertimus: *Et Jehova vidit malitiam hominum in terra ingentem esse, & effectus cogitationum cordis eorum quotidie tantum pravos esse. Ideo poenituit Jehovam, (nempe ingentis malitiæ hominum, & cogitationum eorum ad pravitatem omnem compositarum,) quia hominem fecerat, & aversatus est animo suo.* Jam non placet, de sensu versus 5ti cum adversariis in certamen descendere, ideo hunc sicco ut ajunt, pede prætereuntes, potius omnes animi nostri nervos dicto 6to a futilibus commentitiisque scrupulis adversariorum vindicando, interpretationi-que ejus stabilendæ intendamus.

## §. LV.

*Verba וַיִּנְחֵם יְהוָה recte vertimus: IDEO JHOVAM POENITUIT, (nempe pravitatis ingentis hominum):* Nam ꝑ conversivum futurorum per *ideo* verti posse, non nisi genii hebrææ linguæ rudis negabit. Sed probabiles causæ nobis quoque svadent, ut istud ꝑ per *ideo* vertamus, & comma hoc:

hoc: *Jehovam pœnituit*, tam arctissime jungamus cum præcedenti versu, ut indicet, Deum pravitatis hominum tunc temporis viventium pœnituisse. Nam æquitas omnibus interpretibus sancta postulat, ut verba ita explicemus. Supra enim evicimus, Deum tantum pœnitentia ferri posse adversus pravas actiones rerum a se conditarum & in specie hominum, (§. 49. coll. §. 32. 33. & 34.) minime vero eum pœnitentia duci posse, quod homines creaverit. (§. 50.) Interpretis vero est, verbis auctoris veros conceptus tanquam signata jungere, quantum verba ipsa & eorum connexio id permittunt. (p. L. Log.) Tantum vero abest, ut verba commatis: *ideo Jehovam pœnituit*, & eorum connexio obstent, quo minus respectum ad pravitatem hominum ingentem commate præcedenti delineatam habere possint, ut potius nexum hunc arctum cum commate præcedente dilucide ostendant. Nam si verba: וַיִּנְחַם יְהוָה כִּי עָשָׂה הָאָדָם כְּאָדָם vertenda essent: *Et Jehovam pœnituit, se hominem fecisse in terra*, certe hæc duo commata arctiori nexu juncta essent, quam si ita explicanda forent: *ideo Jehovam pœnituit*, (nempe pravitatis hominum ingentis) *quia hominem fecerat*: Evidens ergo est, si prius obtineret, hæc duo commata: *et Jehovam pœnituit, se fecisse hominem* minoris distinctionis signo per divinum auctorem separata forent, cum jam magnæ distinctionis signum nempe Sakeph Katon interpositum est. Hic accentus manifestum est indicium, verba: *Jehovam pœnituit*, potius ad præcedentem versum, quam ad sequens comma respicere. Non est, quod objicias, verba jam adducta a præcedenti versu adhuc majori accentu nempe Silluk divulsa esse, & ideo verba ista arctius cum sequentibus quam præcedentibus verbis coherere. Nam necesse erat, ut verba ista sapius adducta cum verbis: *quia hominem fecerat*, unum constituerent versum, quia

quia alias hæc ultima verba obscuritate ingenti laborassent. Determines quæso hos duos versus hoc modo, ut verba: *Jehovam pœnituit*, partes præcedentis versus sint, & videbis, versus sequentem hiulcum verborum concursum esse. An vero justus est verborum concentus, si versus ita disponeres: vs. 5. *Et Jehova vidit malitiam hominis in terra ingentem esse, & effectus cogitationum cordis ejus quotidie tantum pravos esse, ideo Jehovam pœnituit.* vs. 6. *Quia hominem fecerat, & aversatus est animo suo?* Sensu verborum: וַיִּנְחַם יְהוָה rite explicato, indoles pœnitentiæ divinæ explicatu facilis est. Dei pœnitentia eadem est cum ejus æterna immutataque aversatione eorum, quæ infinitus ejus intellectus mala judicat, & quæ factis ipsius adhærent. (§. 43. & 52. & 53.) Itaque divinus Sacræ Scripturæ Auctor hac phrasi: וַיִּנְחַם יְהוָה nos docere voluit, sanctissimum Deum æterna immutataque aversatione ductum fuisse adversus pravas hominum actiones tempore diluvii viventium. Quem sensum quoque quo minus ultimis verbis versus 7. hujus Cap. VI. כִּי נִחַמְתִּי כִּי עָשִׂיתִי attribuamus, nihil obstat.

*Scholion.* Auctor cogitationum rationalium de usu methodi scientificæ in *Theologia revelata*, 1743. in vulgus editarum, (qui sub nomine A - X Societati veritatem amantium adscripti latere voluit,) ut se hostem veritatum a Deo patefactarum præberet infestissimum, regulis & thesibus philosophicis male intellectis & justis limitibus suis exemtis usus est, quod minutis Philosophis solemne, ad veritates a Deo profectas falsi arguendum. Auctor pruritu novas protrudendi opiniones motu negavit quoque, verba scriptoribus divinarum litterarum a Deo nullo alio interveniente suppeditata esse, & ad hanc sententiam tuendam, multum opis ponit in loco hoc, cui explicando interpretandoque hæctenus operam navavi. Sed audaciæ eo non processit Auctor, ut dictum hoc obscuritatis & iniquitatis in Deum ipse argueret, sed historici provinciam in se suscipiens, sermonem extranei cujusdam §. 8. scripti sui nobiscum communicavit.

D

cavit.

cavit. Non alienum erit ab instituto nostro, tela a *Viro hoc* ex hoc dicto desumpta, & in divinitatem sacrae scripturae vibrata repellere. Tria sunt, quae monuit adversus hoc estatum divinum, & quorum ope divinam originem verbis, quibus hic locus in scriptura sacra consignatus est, dubiam reddere studuit. 1.) Coarguit Auctorem dicti Gen. VI. 6. obscuritatis. Ne quid *Auctori* affinxisse videamur proferam, ejus verba: „Ajebat (extraneus) se omni opera frustra impensa non invenisse veram distinctamque notionem in hoc versiculo. Ego vindicaturus versum hunc ab ejus objectionibus, respondeo: „Scriptores sanctos usos fuisse aliquando expressionibus ad essentiam rerum non rigoroſe & stricte attemperatis in commodum eorum, qui crasso & simplici intellectu sint praediti, quo & hi intelligant, & fructum exinde capere possint. Sed, quod me in majorem abripuit admirationem aperte profitebatur, responsionem meam plane jejunam esse. Tum recitabat ipsa verba textus: Da reuete es dem Herrn, daß er Menschen gemacht hatte auf Erden, und es bestimmete ihn, in seinem Herzen. Et sensum eorum tali modo eloquebatur: Deum constituisse homines propter enormem malitiam, in toto terrarum orbe per diluvium delere. Instabat mihi alius, interrogans: nonne simplicissimus & crassissimo ingenio praeditus homo faciliori negotio intelliget posteriora verba quam priora verba textus;posito, ut animus nobis sit, ipsum ad cognitionem Dei veram & distinctam perducere. Sed haec argumenta adsertum *Auctoris* extra omnem dubitationis aleam minime ponunt. Nam 1.) quodsi illi concederem, (quod tamen postea sub examen vocabo.) sensum propositionis istius: *Deum poenituit*, esse: Deus constituit, homines propter enormem malitiam in toto terrarum orbe per diluvium delere! Num ideo elocutio ista obscuritate laborat, quia conceptus quasi compacti & involuti, elocutionique: *Deum poenituit*, juncti, hac explicatione iterum revolvantur? Si ista accusatio firmo nitetur fundamento, nulla propositio quin imo nulla vox ab obscuritate casta praedicari posset, quia definitionibus vocum & explicationibus elocutionum utimur ad significatus & sensus earum planiores reddendos. Objectioni locus non datur: vocem *poenitere* ambiguum esse, & ideo difficile judicatu praesertim indoctis esse, quis conceptus in praesenti loco huic voci jungendus sit. Nam nexum huic dicto antecedentium & consequentium perpendenti, & divina-

rum

rum proprietatum haud ignaro obscurum esse nequit, quis sensus isti loco attribuendus sit. Sed 2.) explicationis propositionis: *Deum penituit*, ab *Auctore* suppeditata fallitas facile evinci potest. Accusationi meae versus 7. Cap. hujus VI. fidem faciet. Si enim verbis: *Deum penituit*, tantum indicare voluisset oraculorum divinatorum Auctor, Deum constituisse homines propter enormem malitiam diluvio delere, certe hic versus 7. monstri quid in se contineret. Nam ita vertendus esset: *Et Deus dixit, perdam hominem, quem creavi, de superficie terra, ab homine usque ad jumentum, usque ad reptile & usque ad avem caeli, nam constitui eum delere.* Praeterea ex §. 36. patet, sensum, quem *Auctor* verbis sapius repetitis attribuit, potius effectum poenitentiae divinae esse, quam poenitentiam ipsam. Ex versu adducto 7. Cap. VI. quoque colligi potest, plurimos interpretum a veritate quam longissime aberrare, qui cum *Augustino* facientes putant, verba: **וַיִּנְחַם יְהוָה כִּי עָשָׂה הָאָדָם בְּאָרֶץ** *avθρωποστας* dicta saltem decretum Dei homines diluvio terra extirpandi indicare. Alterum, quod *Auctorem* in hoc loco male habet, est, quod idem hoc in versu contentae attributis divinis minime conveniant. „Praeterea, *inquit*, idem in hoc versiculo contentae „attributis divinis minime conveniunt. Cujuslibet sibi promittebat „suffragium, qui notiones distinctas de immutabilitate, sapientia & bonitate Dei esset adeptus.,, Sed arguit tantum non vero probat. Ostendat, si potest, cui proprietati divinae poenitentia contraria sit. §. 52. probatum dedi, poenitentiam Deo nequitiam indignam esse. Frustraneo ausu *Vorslius* in notis ad Disp. 3. de Deo & attrib. divin. p. 194. & *Socinus* in praefect. Theol. Cap. XI. in hoc loco praesidium quaesiverunt pro tutanda mutabilitate intellectus negandaque praescientia Dei. Objectionibus eorum §. 53. & 54. obviam eunt. Ultimo putat *Auctor* dicendi genus quo Spiritus sanctus in hoc versu usus est, libertate metaphoris scriptum ornatus reddendi defendi non posse, quia regulis Logicis tantum esset, ne Metaphora utens, se in ista arrogantius exprimat, quam essentia & proprietates rei permittunt, & quatenus illis consentaneum est. Hunc scrupulum sequentibus verbis nobis cum communicavit: „Objiebam ipsi (exira- „neo) verba hujus versiculi esse metaphorica, atque ita non proprie „sed juxta nexum veritatum theologiarum esse applicanda. Sed & „hanc objectionem parvi aestimabat. Dicebat enim in Metaphora,

D 2

„quando

„quando verbis attribuo sensum improprium, non arrogantius te  
 „exprimas, quam essentia & attributa rei permittunt, & quantum est  
 „illis consentaneum; ideo colligebat, expressiones in hoc versiculo  
 „defendi nequeunt libertate metaphorica; ergo est in illis imper-  
 „fectio, explicemus etiam ea, qua ratione velimus, hinc verba scri-  
 „ptoribus biblicis a Spiritu Sancto non sunt immediate suppeditata.“  
 Sed causam non perspicio, cur in aversationem, qua Deus a pravis  
 hominum actionibus abhorret, vox poenitentiae transferri non possit.  
 Nam aversatio ista divina poenitentiae, qua homines ducuntur, non  
 solum similis est, (§. 39.) sed etiam poenitentia imperfectionibus, ex  
 limitata hominum natura poenitentiae hominum accedentibus, libe-  
 rata dignitatis divina minime aliena est. (§. 42. & 51.) Cur itaque  
 nomen poenitentiae aversationi Dei, qua adversus pravas hominum  
 actiones fertur, per translationem attribuendum non sit, cum igno-  
 rissimis ignoro.

## §. LVI.

*Sensus verborum:* **וַיִּתְעַצֵּב אֱלֹהִים לְבוֹ** legitime est explica-  
 tus: *Et aversatus est in animo suo:* Radix vocis **וַיִּתְעַצֵּב**  
 significat *doluit, tristi fuit*, & in Hithpaël, quæ quippe signi-  
 ficatum verborum reciprocum exprimit, significat: *se ipse*  
*dolore vel tristitia adfecit.* **לְבוֹ** significat cor, & animum vel  
 spiritum. Deus vero expers est omnis corporis, & ideo illi  
 corde opus non est. Evidens itaque est, hoc loco **לְבוֹ** animum  
 seu spiritum divinum indicare. Hæc ergo phrasis **וַיִּתְעַצֵּב**  
**וַיִּתְעַצֵּב אֱלֹהִים לְבוֹ** secundum verba ita est vertenda: *Et tristitia se ipsa*  
*adfecit in animo vel spiritu suo.* Hunc proprium verborum sen-  
 sum & nos in nostra versione secuti fuisset, nisi natura Dei  
 improprium exigeret. Qui enim se ipsum tristitia adfecit,  
 propriis animi sui viribus intuitum malorum ingentium in  
 animo suo excitat. Ideo tædio animum suum inquietum  
 reddit, & denique ab istis malis abhorreat necesse est. Beati-  
 tudo vero Dei summa obstat quidem, quo minus ille tædio  
 agitari possit, tamen infinitus ejus intellectus intuendo pravas  
 hominum



hominum actiones contemplatur, quas quoque sanctissima  
eius voluntas non potest non averfari. Phraſis itaque: *Deus  
ſe ipſe triſtem reddidit*, utpote divinx naturæ accommodanda,  
ita eſt intelligenda: Viſ infinita Deo propria eſt unica cauſa,  
cur Deus rem quandam malam judicavit, & iſtam averſatus  
ſit. Sed cur divus Scripturæ ſacræ auctor verba hæc reddidit:  
אל-לכּוּ? Reſpondeo, ad averſationem Dei eo majorem  
adverſus facinora hominum tempore diluvii viventium indi-  
candam. Si enim dicitur, Deum averſatum eſſe in animo ſuo,  
facili negotio exinde colligi poteſt, totum Deum, (abſit  
blaſphemia!) qui merus eſt ſpiritus, a pravis hominum  
actionibus abhorruiffe.

## §. LVII.

Deo non tantum Gen. VI. 6. pœnitentia tribuitur, ſed &  
aliis locis iſte adfectus Deo non ſolum vindicatur, verum etiam  
voce נחם exprimitur. Cauſa omnino caderemus, ſi iſtis  
locis alius conceptus voci נחם jungendus eſſet ac Gen. VI. 6.  
Noſtrum ergo eſt oſtendere, quod iſtis locis voce נחם idem  
conceptus indicetur, qui Gen. VI. 6. voci iſti junctus eſt, nimi-  
rum averſatio æterna immutataque eorum, quæ Deus mala judi-  
cat. Periculum faciamus in explicandis nonnullis iſtorum dicto-  
rum. Primum dictum, quod nobis ſe offert, eſt 1 Sam. XV. II.

וּנְחַמְתִּי כִּי־הִמְלַכְתִּי אֶת־שָׁאוּל לְמֶלֶךְ כִּי־שָׁב  
מֵאֲחֵרֵי וְאֶת־דָּבָרִי לֹא הִקִּימְ

Priusquam ſenſum horum verborum determinemus, utile  
erit, nexum hunc verſum & antecedentia intercedentem  
oſtendere. Saulus inobediens dicto Dei jubentis, Amali-  
kitas occidione, Regem hujus populi & optimum ſpõlii  
ſibi & militi ſuo ſervaverat. Hanc contumaciam Deus tam  
indigne ferebat, ut commate II. dicat, *ipſum pœnitere*. Verba  
נחמתי כי-המלכתי שאול למלך duplicis explicationis patientia  
sunt

sunt. Nam 1.) ita verti possunt: *me poenitet*, (nimirum contumaciæ Regis Sauli tam in antecedentibus versibus quam in sequentibus verbis hujus ipsius versûs descriptæ,) *quia ego Saulum Regem constitui.* 2.) Hunc admittunt sensum verba: *me poenitet, me Saulum regem constituisse.* Posterior sensus iniquus est in infinita Dei attributa, prior vero amica conspiratione cum illis consentit. Jubente enim Deo in Saulum summa imperii delata erat. Creatio itaque Sauli Regis merito factum divinum habetur. Jam vero Saulus regia dignitate in eum a Deo collata adeo abutebatur, ut se adversus Deum contumaciter gereret. Hoc vero malum, quo factum Dei adfligebatur, eum averſatum esse evidenter ex sanctitate Dei summa colligi potest. Sed jam ab æterno hoc malum futurum prævídít, & ideo quoque ab æterno ab isto abhorrúit, quia intellectus & voluntas divina nullius incrementi & mutationis capaces sunt. Fortassis quæris, cur Deus, facinora Sauli ad regiam dignitatem evecti quam certissime prævidens tamen eum Regem creavit? Respondeo, quia exploratum habuerat, ex Sauli imperio in populum Israëlís & in rerum naturam commoda redundatura egregia, & quia decreverat, eum imperio suo exuere; si facinora ejus justo graviora fierent, quam ut a sapiente commodo optimi mundi interviente permitti possent. Nullus itaque dubito, quin versio commatis II. calculum intelligentium meritura sit: *me poenitet, quia ego Saulum Regem constitui, nam recedit a me, & præcepta mea executioni non dat.* Versû 35 hujus Cap. XV. iterum Deo poenitentia quidem attribuitur, servato tamen supra stabilito significato. Adfertí veritas ex sequentibus patebit:

וְלֹא יָסַף שְׂמוֹאל לִרְאוֹת אֶת-שָׂאוֹל עַד-יוֹם  
 מוֹתוֹ כִּי-הִתְחַבֵּל שְׂמוֹאל אֶת-שָׂאוֹל וַיְהִי נֶחֱם  
 כִּי הִמְלִיךְ אֶת-שָׂאוֹל עַל-יִשְׂרָאֵל:

Sensus

Sensus hujus versus nostra quidem sententia hic est: *Et Samuel Saulum amplius non vidit usque ad diem mortis suae; nam acerbissime luxit Samuel Saulum. Et Jeboram genuit, (benigne pravi Regis Sauli,) quia Saulum Regem constituerat in Israel.* Tam natura Dei, quam positus verborum: וַיִּהְיֶה כְּתוּב, per Sakeph katon a sequentibus divulforum hanc versionem suadent.

Tertius locus a nobis explicandus est Jerem. XVIII. 10.  
וְעָשָׂה רָעָה בְּעֵינֵי לְבָבָי שְׂמוּעַ בְּקוֹלִי וְנִחַמְתִּי עַל-הַשִּׁיבָה  
 אֲשֶׁר אֶמְרָתִי לְהִשְׁיב אֹתוֹ:

Prius speciem quandam poenitentiae divinae explicemus, quam seipsum hujus dicti determinemus. Ratione annuente adferi potest, Deum promissi sui nondum confecti poenitere posse. Nam promittere potest, se rei cuidam existentiam largiturum, si eventus quidam in rerum natura praesto sint, quibus tantum praesentibus res a Deo promissa universo utilis erit. Sed Deus futurorum praescius praevidet, istos eventus culpa hominum non solum non adfuturos, sed quoque hos tales edituros actiones, quae impediunt, quo minus Deus sapientia sua salva promissis suis stare possit, ideo factum promissum malum judicat, quia naevus ab aliis pollutum iri praevidet. Nonne itaque sanctitate divina id exigente hoc factum aversabitur Deus, licet nondum effectum ediderit, & quoque nunquam perfecturus sit? Quid itaque obstat, quo minus dici possit, Deum talis facti poenitere? E re erit, ut hoc exemplo illustremus. Justitia Dei suum impedit, quo minus in pravos consulto ab officiis discedentes beneficia illa, quae ceu praemia legibus suis obedientibus promissit, conferre possit. Si itaque Deus promissit, se suis legibus morigeris benefacturum, certe non solum promissum hoc non efficiet, si homines imperio suo reluctaturos praevidet, sed etiam malum ducet, pravos hos bene-

beneficiis ornari. Itaque tum beneficia sua averfabitur, & ideo cum istorum poenitebit. Sed hæc poenitentia minime variatæ voluntatis divinæ indicium est, quia Deus jam ab æterno statuit, beneficia sua promissa refractariis denegare. Jam sensus dicti Jer. XVIII. 10. nemini obscurus esse potest, & quilibet facile intelliget, divinum Auctorem a significato vocis כרח־מנח antea stabilito non recessisse. Adserto nostro fidem faciemus versione hujus dicti: *Si faciet malum coram oculis meis, ut non obediat voci meæ, poenitebit me boni, (h. e. beneficia promissa mala ducam, eaque averfabor) quod promisi ad benefaciendum ei.*

Voce כרח־מנח sæpius quoque utitur auctor sacrae scripturæ ad summam Dei commiserationem erga homines ad meliorem mentem redeuntis innuendam. Exod. XXXII. 14. voci כרח־מנח dicta potentia conceditur. Dabimus textus verba:

וַיִּנְחַם יְהוָה עַל-הַרְעָה אֲשֶׁר רָבַר לַעֲשׂוֹת לְעַמּוֹ:

Succincta explicatio antecedentium hujusque versus inter se nexorum viam nobis pandit ad hunc versum legitime interpretandum. Mose quadraginta dies in monte Sinai commorante, populus Israelis, quid de eo factum, ignorans, Aarõnem, ut Deum ipsi effingat, sollicitat, qui morem gerens, vitulum ex auro conficit, cui populus multo cum gaudio sacrificat. Hoc ipso Deus commotus, toti populo interneccionem minatur: Verum Moses supplex Deum, ut ob nominis sui gloriam ab ira desistat, rogitat, qui se tandem exorare finit. Cum jam quilibet ratione litteris divinis non suffulta edoctus, veritati convenienter de hoc facto divino judicare possit, eo minus is, cujus meus oraculis divinis illustrata est, a tramite veritatis deflectet. Voluntas enim Dei antecedens in bonas actiones per se, non vero ut partes systematis hujus universi consideratas proemia, in pravas vero vi essentia eorum poenas expetit. Non potuit ergo Deus, quin pro hac voluntate cultum aurei vituli & populo Israelis turpiter in Deum evecti averetur, & graviter in hunc populum ingrati animi reum consulat. Sed voluntas Dei consequens, (quæ semper sapientia summa duce utitur, resque syste-

systemati hujus univervi innexas vel amore vel odio excipit, prouti rerum omnium a Deo conditarum fini primario vel utiles vel nocivæ sint), jam ab æterno Deum propitium fecerat, populum Israelis pœna alias promerita eximendi. Neceffe itaque fuit, ut Deus pœnam, quam voluntate sua antecedente incitatus infligendam statuerat, voluntate sua consequente svadente non infligendam duceret, ideoque executionem hujus pœnæ malam judicaret. Hinc quilibet, vel me tacente, intelliget, Deum ab hac pœna abhorruisse, ejusque pœnituisse (§. 42.). Fortassis quidam putant, modum argumentandi ab aversatione Dei ad ejus pœnitentiam firmo non niti fundamento, quia hæc requirat, ut Deus jam ab æterno a re, cujus eum pœnitet, abhorruerit, cum tamen præsens factum divinum manifesta prodat indicia mutatæ voluntatis divinæ. Nam licet Deus, audiente Mose toti populo Israelis internecionem minatus esset, tamen postea pœnam effectam non dabat. Huic nodo nonnulli tantam adfinxerunt vim, ut eum potius dissecuerint quam solverint, dicentes, Deum non serio egisse, cum populo Israelis minaretur. Sed hunc nodum tanti non duco, ut solutioni ejus Alexandro opus sit. Dei enim intellectus omnia possibilis simul & ab æterno clarissima luce contemplans, res hujus mundi tam hoc systemate exentas, quam isti innexas distinctissime perspicit. Neceffe ergo est, ut voluntas Dei intellectui ejus obtemperans ab æterno serio velit, pravas hominum actiones extra nexum hujus mundi, & ideo per se consideratas punire, quas non raro voluntas Dei consequens jam ab æterno sapientibus mota rationibus, v. g. reditu ad meliorem frugem, merito Christi &c. dignas judicet, quæ pœna indicta liberentur. Vides ergo veniam a pœna populo Israelis a Deo benigne concessam minime signum mutati decreti esse, & quoque perspicias, Deum serio egisse, tam cum voluntate antecedente populo Israelis pœnas infligendas decerneret, quam cum voluntate consequente illi veniam concederet. Non est, quod objicias, mea explicatione admiffa, Deo decreta inter se repugnantia simul inesse. Nam Deus eandem actionem non eodem respectu pœna dignam & indignam judicat. Ex dictis itaque abunde patet, dictum hac Exod. XXXII. 14. ita latine vertendum esse: *Et pœnituit Deum*

E

mali

*mali*, (h. e. Deus poenas voluntate antecedente stimulante, populo Israël indictas voluntate sua consequente svadente non infligendas duxit,) *quod dixerat se populo suo facturum*. Ut diutius in explicatione hujus dicti hærerem, necesse quidem non esset, quippe officio interpretis mea quidem sententia feliciter functus, intermittere tamen non possum, quin scrupulum per positum accentuum in hoc versu meo animo injectum, huncque adhuc huc atque illuc in diverso trahentem cum lectore communicem. Nullam nempe perspicio causam, scrupulos omnes animo meo eximentem, cur Athnach intra prius comma hujus versus nempe sub voce וַיִּתְּנֵם positus sit. Nullum huic simile dictum mente jam recolare possumus, in quo ex pluribus commatibus composito Athnach medium unius commatum occupet. Num indicat fortassis hæc sedes Athnacho data, verbum וַיִּתְּנֵם cum emphasi repetendum esse, adeo, ut versus hic ita latine vertendus sit: *Et Deum poenituit, poenituit inquam mali, quod populo se facturum dixerat?* An Athnachus jubet, lectorem viso hoc accentu aliquantum temporis legere desistere, ut omnes suas cogitationes in intensissimum Dei amorem, quo in homines male morigeros flagrat convertens, istum summa pietate veneretur? Me intelligentiores judices sint, quænam harum conjecturarum alteri palmam præripiat. Postremæ harum conjecturarum primas partes concedentes fortassis quoque putabunt, me immerito multum præsidii pro tutanda explicatione mea loci Gen. VI. 6. ex positu Sakeph Katon super vocem וַיִּתְּנֵם repetiisse, quia iste accentus in hoc dicto non tam majori distinctione sequens comma & præcedens divellat, quam potius lectores monitos velit, ut odio, quo Deus male morigeros homines persequitur, animos advertant. Sed quod si etiam ista conjectura calculis intelligentium munita esset, tamen non timeo, ne causa cadamus. Nam non multum opis in positu accentuum posuimus, freti potius natura poenitentiae divinæ, pro nobis militante.

Licet aliis adhuc locis scripturæ sacræ dicatur, Deum poenas a se indictas poenituisse, tamen necessarium non duco, illa explicare, quia explicatione enodari possunt fere eadem, qua sensum Exod. XXXII. 14. distincta cognitione non advertebis clariorem reddidimus.

ad. 14.

01 A 6501


ULB Halle 3  
002 927 330



sh

12









DISSERTATIO  
DE  
**POENITENTIA DEO  
ADserta**

AD GENES. VI. 6.

QVAM

AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE  
CONSENTIENTE

PRÆSES

**HERMANNVS JACOBVS LASIVS**

A. M.

ET SCHOLÆ SENAT. CONRECTOR

ET

RESPONDENS

**JOACHIMVS FRIDERICVS HELM**

POMERANVS

THEOL. ET PHILOS. CVLTOR

PVBlice DEFENDENT

DIE III. FEBRVARII MDCCXLVII.



GRYPHISWALDIÆ  
LITTERIS HIERONYMI JOHANNIS STRVCKII:  
REGIÆ ACAD. TYFOGR.